

dam porrigentem, in qua haec scripta leguntur verba: FAG ET SPERA; sinistra vero Clypeum tenentem, in quo, more mercatoribus usitato, per monogramma, seu compendium litterarum, indicatur nomen Tauberianum, addita alia scheda, signata his verbis: DEVS PROCVRABIT.

Neque longa explicatione haec indigere videntur. Nihil enim aliud, opinor, iis verbis intellectum voluit, nisi cum industria faciendum esse, quod factu opus sit, seduloque laborandum: neque tamen a laboribus solùm nostris expectandum felicem operarum successum, sed a providentia potius atque benevolentia supremi Numinis, cui spes omnis tuto innititur, & quod, uti omnes actiones nostras sapientissime moderatur ac gubernat, ita etiam efficit, ne incassum laboremus. *Vide Ruperti Observationes ad Sallustium, Norib. 1671. Bitschii Tr. de Thesauris, ibid. 1674. Godelmanni de Magis puniendis Tr. ibid. 1676. Iessenii Anweisung zur Wund-Arzney, ibid. Franc. Arcaei zwey Chirurgische Bücher, 8. ibid. 1674. Leonardi Bottali zwey Chirurgische Bücher / 8. 1676. Franc. Joelis Wund-Arzney / 8. ibid. 1680. Io. Henr. Vrsini Arboretum Biblicum, 8. ibid. 1672.*

INSIGNE VI.

Idem etiam alibi Symboli librarii loco rupem exhibuit a sole collustratam, in cuius apice columba, oleam rostro ferens, solem intuetur; adscripto lemmate: ET SIBI ET ALIIS.

Q 2

In